



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLV. Christus ad Pharisæi prandium vocatus, Hypocrisin,
aliáque vitia castigat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

MEDITATIO CCCLV.

Christus ad Pharisei prandium

*vocatus, Hypocrisin, aliâque vitia
castigat. Luc. II. V. 37.*

PUNCTUM. I. *Et cum loqueretur, rogavit illum quidam
Phariseus, ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit.
Phariseus autem capit intra se reputans dicere, quare non
baptizatus esset ante prandium: Luc. II. V. 37. id est, qua-
re non lavisset manus. Judæi enim ex multiplici
lotione corporis, & vasorum ad usum necessariorum,
Justitiam quandam & Munditiam Legalem sibi finge-
bant. Considera, quòd sicut iste Phariseus, qui non
tantum invitaverat, sed etiam rogaverat Christum,
ut secum prandere dignaretur, foris summam huma-
nitatem, familiaritatem, synceritatem, reverentiam
&c. illi exhibebat, in animo autem eundem contem-
nebat, carpebat, averfabatur, & omnes ipsius actio-
nes observabat, ac quantum poterat, perperam in-
terpretabatur; sic plurimi dentur ejusmodi simulati
amici, præsertim apud Sæculares, qui foris, & intus
idipsum agunt, quod prædictus Phariseus. Unde
familiaritas, & conversatio cum illis in tantum
admittenda est, quantum exigit Spiritualis illorum
Utilitas, & Salus, propter quam Christus prandio
adhiberi se passus est. Interea cavendum, ne quid-
quam in nobis justo vituperio, vel contemptu dignum
adverti sinamus; quia in Religiosis etiam leves & ap-
parentes solummodo defectus facilè notantur, & cul-
pantur. Illud etiam faciendum, quod dicitur de
Christo.*

Christo. Joan. 2. v. 24. *Ipse autem IESVS non credidit semetipsum eis, eò quòd ipse nõsset omnes, & quia opus eius non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine.*

PUNCT. II. *Et ait Dominus ad illum: Nunc Pharisaï, quod deforis est calicis, & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapinã & iniquitate.* v. 39. Etiam si hac superstitione Legalis Munditiei non teneamur, naturali tamen animi inclinatione volumus omnia habere munda, nitida, & pulchra, quæ exterius possidemus; quid nõ etiam Animam & Conscientiam semper curemus habere mundam & nitidam? Aliud hujus internæ Munditiei incitamentum insinuavit Christus v. 40. proximè sequenti: *Struatur Nonne qui fecit, quod deforis est, etiam id, quod de intus est? Si ergo Anima est Opus DEI, nullo peccato, sed tem lethifero commaculanda est, ne per istud destruatur Opus DEI.* Itaque monet S. Paulus Rom. 14. v. 20. *Noli propter escam (aut propter aliam creaturam, voluptatẽve illicitam) destruere Opus DEI.* Si peritissimi pictoris imaginem fædare, artificii injuriosum est; impium est, maculã deturpare Animam, quam DEVS ad Imaginem, & Similitudinem suam fecit.

PUNCT. III. *Va vobis Pharisaï, qui decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & prateritis Judicium, & Charitatem DEI. Hac autem oportuit facere, & illa non omittere.* v. 42. nempe & mortalia & venialia peccata fugienda sunt. *Va vobis Pharisaï, qui diligitis primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro.* v. 43. *Va vobis, quia estis, ut monumenta, quæ non apparent, & lapides, ambulantes supra, nesciunt.* v. 44. quàm scilicet fædatur

factum cadaver intus lateat. Itaque vel maximè ab internis & occultis peccatis Anima munda servanda est; & ab appetitu honoris, qui multorum peccatorum radix est; & ab iniquo, ac temerario iudicio adversus Proximum; & ab omni eo, quod Charitatem DEI tollit.

MEDITATIO CCCLVI.

Christus imploratur Iudex dividunda

Hereditatis. Luc. 12. v. 13.

PUNCTUM I. *Ait autem ei quidam de turba (dum publice ad populum diceret) Magister, Dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem. At ille dixit illi: Homo, quis me constituit iudicem, aut divisorem super vos? Sic à negotijs sæcularibus, vel à Statu, Vocatione, vel proprio Officio alienis, & impediens, aut nimium distrahentibus, abstinendum est, etiamsi in se bona, & honesta essent. Imò cum ijs hominibus commercium refugiendum est, qui huiusmodi requirunt. Hinc velut ignoto Christus dixit: Homo. Et Luc. 10. cum septuaginta duos Discipulos mitteret binos ante faciem suam, præcepit illis: Neminem per viam salutaris: ne huiusmodi familiaritate, vel non necessario colloquio à munere Prædicandi se ullatenus distrahi, vel retardari sinerent.*

PUNCT. II. *Dixit autem similitudinem ad illos, dicens (occasione, hæreditatem & divitias appetentis) Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, destruam horrea*